

XXXVII. QUOD TRANSIT DE POTENTIA AD ACTUM, MUTATUR. Hoc effatum verum est, cum actus est in ipsa re, quae erat in potentia, eique, ut subiecto, inhaeret: quapropter effatum verum maxime est de *potentia passiva*. E. g., mutatur paries, qui ex albo *potentia*, fit albus *actu*; itemque mutatur homo, qui ex indocto fit doctus etc. At falsum est effatum, si actus sit externus ipsi rei, quae de potentia transit in actum, atque ipsam *extrinsece* denominet; aut alias non insit, vel recipiatur in ea, tamquam in subiecto, vel potentia passiva. Id enim, quod hoc modo transit in actum, non est necessum mutari. E. g., id, quod antea non videbatur, nunc autem videtur, hoc ipso nullam subit mutationem, quia aliquid videri est denominatio *extrinseca*.

XXXVIII. QUOD UNI EST ACCIDENS, ALTERI NON EST SUBSTANTIA ¹.

XXXIX. QUO MAIOR EST VIRTUS PRODUCENDI, EO MAIOREM EFFECTUM PRODUCIT. Dummodo nempe effectus maior intra possibilia includatur. Hinc ex eo quod potentia Dei est infinita, argui nequit, ut effectum infinitum producat; quia effectus infinitus contradictionem involvit. Equidem ad entis creati rationem spectat ut sit participatum, ac proinde finitum ². Caeterum, licet omnis effectus a Deo creatus *in re* sit finitus, tamen, quoad modum, « quo fit, est infinitus. Nam etiam minimam muscam creare ex nihilo arguit virtutem infinitam ³ ».

R

DISTINCTIONES

I. RADIX—INITIUM. *Initium* dicitur illud, a quo aliquid exordium sumit. « Initium, ait s. Bonaventura, proprie dicit id, a quo inchoat motus ». *Radix* autem dicitur illud, in quo aliquid fundamentum habet: « Hoc sensu *superbia* dicitur *initium omnium peccatorum*, prout *initium peccati* dicit *recessum liberi arbitrii a lege maiestatis*; *radix* vero est *prunitas libidinis*, quae concurrat ad omne peccatum ⁴ ».

¹ Vid. p. 30. — ² I, q. VII, a. 2 c. — ³ Cf p. 147.

⁴ S. Bonav., *In lib. II Sent.*, Dist. XLII, dub. 4.

II. RARUM—DENSUM. « Densum et rarum in hoc differunt, quod in raro est parum de materia sub magnis dimensionibus; et in denso multum sub parvis ¹ ». Iam, « sicut diversitatem speciei in animalibus indicamus ex diversitate figurarum, ita etiam diversam speciem in elementis cognoscimus ex diversitate rari, et densi ». E. g., « si fiat tanta alteratio, vel permixtio aquae, quod recedatur a termino raritatis et densitatis aquae, signum est, quod sit species aquae transmutata ² ».

III. RATIO FORMALIS—OBIECTIVA. 1^o *Ratio formalis* rei consistit in ipsius definitione, seu in attributis essentialibus, prout haec a nobis concipiuntur, nempe prout a *particularibus conditionibus abstrahuntur* ³. *Ratio obiectiva* in illis ipsis attributis, prout sunt in re. E. g., « Logicus et mathematicus considerant tantum res secundum principia formalia. . . Naturalis autem applicat ad determinatam materiam ⁴ ». Vulgo autem Scholastici *rationis obiectivae* nomine indicabant illud *esse*, quod res habet per modum obiecti cogniti ⁵. 2^o Aliquando *ratio formalis* denotat id, quod in re est *forma*, vel *formae* vices gerit. E. g., calor est *ratio formalis* calidi; cognitio est *ratio formalis*, qua potentia fit cognoscens etc.

IV. RATIO FORMALIS SUB QUA — RATIO FORMALIS QVAE. *Ratio formalis* hoc sensu idem denotat quod *obiectum formale* ⁶. Dicitur vero *ratio formalis sub qua* illa ratio generalis, per quam omnia obiecta particularia redduntur apta ut ab aliqua potentia, vel scientia attingantur ⁷. *Ratio formalis quae* est ratio peculiaris, quae in ratione generali continetur. E. g., color est *ratio formalis sub qua*, color viridis est *ratio formalis quae*, respectu potentiae videndi, vel, si color dici velit *ratio formalis quae*, lumen erit *ratio formalis sub qua*. Solent etiam metaphysici distinguere in habitibus, qui circa cognitionem versantur, *rationem formalem* ex parte rei cognitae a *ratione formali* ex parte cognoscentis. Illa attingitur ab ipso habitu, et est medium, per quod assentimur veritati, e. g., quantitas dis-

¹ *In lib. II Sent.*, Dist. XXX, q. II, a. 1 sol.

² *In lib. IV Sent.*, Dist. III, q. I, a. 3, sol. 2 c.

³ I, q. XLIV, a. 3 ad 3.

⁴ *Qq. dispp.*, de *Pot.*, q. VI, a. 1 ad 11.—⁵ Vid. p. 240.

⁶ *Ibid.*—⁷ 2^a 2^o, q. I, a. 3 c.

creta in arithmetica: Haec non attingitur saltem directe ab illo habitu; e. g., abstractio a materia sensibili in scientiis mathematicis.

V. RATIO INFERIOR—RATIO SUPERIOR. Ratio dicitur inferior, prout res intelligit, et diiudicat secundum principia, quae ex contemplatione rerum existentium sibi efformat: Dicitur autem superior, prout res intelligit et diiudicat secundum principia aeterna et immutabilia, a quibus principia ex ipsis rebus efformata veritatem suam mutantur. E. g., rationis inferioris est iudicare obediendum esse regi, propterea quod incolumitas societatis id exoptulat; ratio superior ex eo quod Deus, societatis auctor et custos, hoc iubet; ad quam secundam rationem prima reducitur, quae a natura societatis petitur, quia natura societatis a Deo constituta est¹. Quare « superiori rationi attribuitur sapientia; inferiori vero scientia² »; siquidem « sapiens dicitur in unoquoque genere, qui considerat causam altissimam illius generis³ ».

VI. RATIO SPECULATIVA—PRACTICA⁴.

VII. RATIONE RATIOCINATA—RATIONE RATIOCINANTIS⁵.

VIII. REALITAS—RES. Res distinguitur a realitate, quatenus res concipitur ut totum aliquid integrum, seu ut habens essentiam aliquam plenam; realitas vero est aliquid minus re; idest concipitur non ut tota res, sed ut aliquid rei. Unde dicitur etiam aliquiditas. Haec distinctio potissimum viget penes Scotistas. Hi enim docuerunt in qualibet re esse plures formas, vel plures actus eiusdem formae, idest varias differentias, per quas natura communis, secundum ipsos propria et reali existentia gaudens, a generica fit specifica, atque a specifica fit singularis. Inter has formas, vel eiusdem formae entitates, distinctionem formalem a parte rei, quam rejecimus, agnoverunt⁶; atque ipsas appellarunt realitates, formalitates, vel etiam

¹ *Qq. disp.*, De Ver., q. XV, a. 2 c. De hoc duplici rationis actu disserit s. Augustinus, De lib. arb., lib. I, c. 14; De Trin., lib. XII, c. 15.

² I, q. LXXXIX, a. 9 c.

³ I, q. I, a. 6 c. Vid. discrimen inter sapientiam, et scientiam, litt. S.

⁴ Vid. *Intellectus speculativus—practicus*, p. 176.

⁵ Vid. *Formaliter—Realiter—Ratione*, p. 135-136.

⁶ Vid. p. 136.

gradus metaphysicos, quia per illas natura maxime communis gradatim ad individuum contrahitur. E. g., in Petro, Scotistarum sententia, plures realitates inveniuntur, puta esse substantiae, esse viventis, esse animalis, esse hominis, atque ultima realitas, per quam constituitur esse Petri, et haec est *Petreitas*. Communius vero res distinguitur a realitate, quatenus haec significat illud, quod habet esse extra animam; res autem latissime sumitur, nempe « ad utrumque se habet, et ad id, quod est in anima, prout res dicitur a reor, reris; et ad id, quod est extra animam, prout res dicitur quasi aliquid ratum et firmum in natura¹ ».

IX. REALITER—RATIONE—FORMALITER².

X. RECIPROCATIO MUTUAE CONSECUATIONIS—MUTUAE PRAEDICATIONIS—MUTUAE RELATIONIS. *Reciprocatio mutuae consecutionis*, seu *conversio*, est affectio propositionum, in quibus subiectum unius fit praedicatum alterius; et contra. *Reciprocatio mutuae praedicationis*, seu *convertibilitas*, consistit in eo quod duo de se invicem vere et universaliter praedicantur, ut homo et esse risibile. *Reciprocatio tandem mutuae relationis*, seu *convertentia*, consistit in eo quod unum ab altero pendet, vel unum potest explicari per alterum.

XI. REDUCTIO OSTENSIVA—AD IMPOSSIBILE³.

XII. REDUCTIVE—DIRECTE⁴.

XIII. REDUPLICATIVE—SPECIFICATIVE. Adhibentur hae voces in propositionibus, in quibus subiecto particula quatenus, vel aliae huiusmodi apponuntur. Iam hae aliquando tantum manifestant quamdam subiecti formam, cui attributum refertur; e. g., Aethiops, quatenus est homo, est niger; homo, quatenus homo est, videbit Deum. Aliquando vero causam continent, cur subiecto illud praedicatum referatur, seu indicant illam formam esse rationem, ob quam illud praedicatum ad subiectum spectat; e. g., homo, quatenus homo, est ratione praeditus; homo, quatenus ex contrariis componitur, est corruptibilis; Petrus, quatenus est de tali patre natus, est haeres eius. Priori

¹ In lib. I Sent., Dist. XXV, q. I, a. 4 sol. Vid. p. 108.

² Vid. p. 135-136.

³ Vid. *Ostensive—Ad impossibile*, p. 243.

⁴ Vid. *Directe—Indirecte*, p. 96-97.

modo illae particulae *specificative*; altero modo *reduplicative* sumi dicuntur. « Id, inquit s. Thomas, quod in aliqua propositione reduplicatur, cum hoc quod dico, *secundum quod*, est illud, per quod praedicatum convenit subiecto ¹. Et Alb. M.: « Reduplicatio proprietas est a praedicato inchoans, et in subiectum procedens, et in ipso manifestans causam inhaerentiae praedicati ² ». Ex his patet, quod ista propositio, Aethiops, quatenus est homo, est niger, in *sensu reduplicativo* est falsa, siquidem ratio, ob quam Aethiops est niger, ex eo, quod est homo, haud sumitur, secus quisque homo esset niger; quocirca enuncianda est in *sensu specificativo*, nempe ita ut significet illum, qui est homo, esse etiam nigrum ³.

XIV. REFLEXE—DIRECTE ⁴.

XV. REGRESSUS—CIRCULUS UNIFORMIS ⁵.

XVI. RELATIVUM—ABSOLUTUM. Sicut ens a nullo alio dependens dicitur *Ens a se*, ens vero dependens, ens *ab alio*, et sicuti ens nulli inhaerens, dicitur *ens per se*, ens vero alteri inhaerens, ens *in alio*; ita ens quod *ad seipsum* est, seu quod ad aliud ordinem non habet, ita ut concipi queat, quin simul cogitetur aliud, cum quo comparatur, dicitur *absolutum*; quod vero est *ad aliud*, ita ut apprehendi nequeat, quin simul aliud consideretur, dicitur *ens relativum* ⁶. Hinc *relatio* est ordo unius ad alterum. Appellari solet etiam *habitus*, *connotatio*, *respectus*, *comparatio*, ex eo quod unum cum alio conferatur. Porro in *relatiqne* haec tria spectanda sunt: 1^o *Subiectum*, quod refertur, e. g., pater; 2^o *Terminus*, ad quem refertur, seu id quod subiecto ex adverso respondet; quodque dicitur etiam *correlatum*; cuiusmodi est filius; 3^o *Fundamentum*, propter quod refertur; puta generatio. Hoc di-

¹ In *lib. III Sent.*, Dist. X, q. I, a. 1, sol. 4 c.

² *Prior. Anal.*, lib. I, tract. VII, c. 6. Exemplum *reduplicationis* nobis praebet etiam s. Augustinus iis verbis: « Fac misericordiam iniquo, non tamquam iniquo. Nam ipsum iniquum, in quantum iniquus est, ne suscipias; id est, ne quasi intentione et amore iniquitatis suscipias eum »; *Enarr. in Ps. CII*, n. 13.

³ Vid. p. 134-135.—⁴ Vid. p. 98.

⁵ Vid. *Demonstratio circularis*, p. 92-93.

⁶ « Relativum dicimus quod ad alium agnoscendum referimus, ut dum unum nominamus, aliud demonstramus »; s. Fulg., *Contra obsecrationes Arianorum*, Resp. I.

citur etiam *ratio fundandi*. Quia vero relatio est inter subiectum et terminum, ideo haec dicuntur *extrema relationis*.

XVII. RELATIO AD—RELATIO IN. Si illud, in quo fundatur relatio, consideretur in extremis, prout illis inhaeret, sine ordine, qui inter unum et alterum extremum intercedit, tunc relatio *fundamentalis*, sive *conceptus in*, existit. Nominatur autem relatio *formalis*, sive *conceptus ad*, si illud ipsum, ex quo relatio resultat, spectetur, prout ordinem statuit inter utrumque extremum. Inde exurgit distinctio inter *dicere ad*, et *dicere in*, de qua alibi diximus ¹. E. g., albitudo, vi cuius duo corpora alba sibi invicem referuntur, atque similia appellantur, *dicit in*, si spectetur, quatenus inhaeret extremis; *dicit ad*, quatenus albitudo unius cum albitudine alterius comparatur.

XVIII. RELATIO PROPRIE REALIS—RATIONIS—MIXTA. *Relatio proprie realis* ea est, cuius ambo termini non solum sunt reales, seu res in natura existentes, sed etiam aliquid in se habent, per quod ad se invicem referuntur. Huiusmodi, e. g., est relatio inter causam, et effectum, vel inter duos parietes albos, ob similitudinem albitudinis. Quocirca ut relatio proprie *realis* constituatur, hae conditiones assignantur: 1^o Ut ipsius extrema sint realia; cum enim relatio tota consistat in ordine subiecti ad terminum, ut talis ordo exurgat, oportet realia esse extrema. 2^o Ut inter subiectum, et terminum realis intercedat distinctio, alioquin ordo realis nec etiam haberetur, siquidem idem ad seipsum realem ordinem non potest habere. 3^o Denique, ut reale sit fundamentum in utroque extremo; si enim huiusmodi fundamentum in utroque, vel in uno ab intellectu penderet, relatio, ut mox dicemus, vel *rationis*, vel *mixta* esset. Relatio *rationis*, seu *logica* est, qua aliquid ad aliud refertur *non secundum rationem existendi*, sed tantum secundum *rationem intelligendi* ², seu consistit « tantum in apprehensione rationis conferentis unum alteri ³ »; nempe in ordine, quem intellectus inter conceptus rerum ponit; e. g., cum notionem *hominis*, prout haec speciem repraesentat, referimus ad

¹ P. 95. — ² S. Bonav., *In lib. I Sent.*, Dist. XXVIII, dub. 3.

³ S. Thom., I, q. XXVIII, a. 1 c.

genus *animal*, vel « cum dicimus, idem eidem idem; nam, secundum quod ratio apprehendit bis aliquod unum, statuit illud, ut duo; et sic apprehendit quamdam habitudinem ipsius ad seipsum¹ ». Denique relatio *mixta* est ea, in qua ordo unius ad aliud in uno extremorum naturaliter invenitur, in alio ab intellectu ponitur. Quare haec relatio a nonnullis dicitur *logica*, quia in alterutro termino ordo ad aliud est logicus; ab aliis *realis*, quia unus terminus in ea ordinem ad aliud re ipsa habet. Itaque relatio *mixta existit*, cum « duo extrema non sunt unius ordinis; sicut sensus, et scientia referuntur ad sensibile, et scibile; quae quidem, in quantum sunt res quaedam, in esse naturali existentes, sunt extra ordinem esse sensibilis, et intelligibilis. Et ideo in scientia quidem, et sensu est relatio *realis*, secundum quod ordinantur ad sciendum, vel sentiendum res; sed res ipsae in se consideratae sunt extra ordinem huiusmodi. Unde in eis non est aliqua relatio realiter ad scientiam, et sensum, sed secundum rationem tantum, in quantum intellectus apprehendit ea, ut terminos relationum scientiae, et sensus. Unde Philosophus dicit in 5 Metaph. quod non dicuntur relative eo, quod ipsa referantur ad alia, sed quia alia referuntur ad ipsa² ». Huius tertii generis est relatio inter Deum et creaturas. Nam « cum creatura procedat a Deo in diversitate naturae, Deus est extra ordinem totius creaturae, nec ex eius natura est eius habitudo ad creaturas; non enim producit creaturas ex necessitate suae naturae... Et ideo in Deo non est *realis relatio* ad creaturas, sed in creaturis est *realis relatio* ad Deum; quia creaturae continentur sub ordine divino, et in earum natura est, quod dependeant a Deo³ ».

XIX. RELATIO MUTUA—NON MUTUA. *Relatio mutua* est ipsa relatio *strictae realis*, in qua ordo, ex quo relatio exurgit, in utroque extremo reperitur. Rursus relationi *mutuae* duae subiiciuntur species; nempe relatio *aequiparantiae*, et *disquiparantiae*. Relatio *aequiparantiae*, vel *eiusdem appellationis* audit illa, in cuius utroque extremo respectus est eiusdem rationis, atque eodem nomine exprimitur. E. g., inter duo alba relatio est *aequiparantiae*,

¹ I, q. XIII, a. 7 c.

² Ibid.—³ I, q. XXVIII, a. 1 ad 3.

quia in utroque extremo eiusdem est rationis, et eodem nomine nuncupatur: *Disquiparantiae*, vel diversae appellationis est, cum respectus, in utroque extremo existens, non est eiusdem rationis, nec eodem modo exprimitur. Ita relatio patris ad filium est *disquiparantiae*, quia non est eiusdem rationis in utroque extremo, et diverso nomine significatur; altera enim dicitur *paternitas*, altera *filialio*¹. Relatio autem *non mutua* est eadem ac relatio *mixta*, seu existit, cum ordo, quo unum ad aliud refertur, uni tantum extremo inest. Talis est, uti diximus, relatio inter Deum et creaturas; inter scientiam, et obiectum eius, etc.; siquidem creatura ordinatur ad Deum, non vero Deus ad creaturam²; item, scientia ordinem involvit ad suum obiectum, non vero hoc ad illam.

XX. RELATIO TRANSCENDENTALIS — PRAEDICAMENTALIS. *Transcendentalis*, vel *secundum dici* existit in iis, quae ex sua principali significatione denotant rem absolutam; ex minus vero principali et secundaria significatione indicant relationem; cuiusmodi est relatio inter virtutem et vitium, inter entitatem partis, atque totius etc. *Praedicamentalis*, vel *secundum esse*, locum habet in iis, quorum tota essentia consistit in puro respectu et ordine ad aliud, ita ut principali significatione nihil aliud innuant, quam relationem. Huiusmodi est relatio inter patrem et filium, inter dominum et servum³ etc. *Relatio transcendentalis* ita dicitur, quia vagatur per omnia praedicamenta; nam et quaelibet substantia, et quodlibet accidens potest aliquo modo referri ad aliud. *Praedicamentalis* autem constituit

¹ De his relationibus loquitur s. Augustinus, *Epist.* CLXX, n. 6. S. Thomas autem, postquam monuit non posse esse eandem numero relationem in utroque extremorum, quia unum accidens non est in duobus subiectis, subdit circa relationes *aequiparantiae* et *disquiparantiae*: « Dicendum, quod in utroque extremorum est una relatio differens ab alia in quibusdam secundum speciem, sicut in illis, quae diversis nominibus utrinque nominantur, ut paternitas, et filialio. Sed in quibusdam non differunt specie, sed numero tantum, sicut quando utrumque est unum nomen, ut in similitudine, et aequalitate; et tunc relatio, quae est in uno, sicut in subiecto, est in altero, sicut in termino, et e converso »; *In lib. I Sent.*, Dist. XXVII, q. I, a. 1 ad 2.

² « Deus nullam habet in nos naturalem habitudinem, seu relationem »; Clem. Alex., *Strom.*, lib. II, n. 16.

³ I, q. XIII, a. 7 c.

unam ex decem categoriis¹. Unde appellatur etiam *categorica*.

Ex variis relationum distinctionibus, quas recensuimus, deducitur nomen *relationis*, et *relatorum* sumi tribus fere modis, nempe *latissime* pro quavis relatione, sive *reali*, sive *rationis*; *late* pro sola *reali*, sive *categorica* illa sit, sive *transcendentalis*; *proprie et stricte* pro sola *categorica*. Haec quippe, ut ex iam dictis colligitur, definitur: *Accidens reale, cuius totum esse est ad aliud se habere*. Dicitur *accidens*, tum ut distinguatur categoria relationis a categoria *substantiae*, siquidem relatio, cum substantiae addi, ab eaque pendere intelligatur, veluti accidens ipsius intelligitur, quod in ea aliquem ordinem ad aliud ponit²; tum ut excludantur ab hoc praedicamento Divinae relationes, quae sunt *substantiales*, siquidem, cum *esse* relationis personalis in Deo ab essentia non distinguatur, relatio personalis in Deo, aliter ac in rebus creatis evenit, non habet se ut accidens ad subiectum, sed sicut idem ad idem, sive, ut s. Thomas ait, *per modum identitatis*³. Additur *reale*, ut excludantur relationes *rationis*, siquidem solum ens reale ponitur in *praedicamento*. Alia verba distinguunt relationes *categoricas a transcendentalibus* quarum *esse* totum non est ad aliud sese habere, tamquam ad purum terminum; nam huiusmodi relata principaliter sunt quid absolutum; seu natura sua absolute subiectis suis insunt, et non nisi consequenter subiecta sua ad aliud referunt.

XXI. RELATIVE — CONTRADICTORIE etc.⁴.

XXII. RELATIVUM INTRINSECE — EXTRINSECE. *Relativum intrinsece*, vel *subiective* est id, quod in se habet relationem. *Relativum vero extrinsece* est id, quod terminum constituit relationis in alio existentis; ideoque dicitur etiam *terminative relativum*⁵. Potest haec distinctio sequenti exemplo illustrari: Dupliciter aliquis potest dici inimicus; *subiective* et *intrinsece*, quia odio aliquem prosequitur;

¹ Vid. p. 265.

² « Nihil eorum, quae ad aliquid et intelliguntur, et dicuntur, substantiam exprimit, atque demonstrat »; s. Greg. Nyss., *De iis qui praemature abripiuntur*.

³ *Contr. Gent.*, lib. IV, c. 14. Cf p. 95.

⁴ Vid. p. 69-70.—⁵ *In lib. V Met.*, lect. XVIII.

terminative et *extrinsece*, quia eum alii odio prosequuntur, sicut Christus dicebatur Iudaeorum inimicus, non quia eos odio habebat, sed quia ab eis odio habebatur. Ex his patet in relationibus *non mutuis* terminum esse tantum *extrinsece* relativum. In relativo *extrinseco* relatio dici solet *assistens*¹.

XXIII. RELATIVUM SPECTATUM MATERIALITER—FORMALITER. *Relativa* dicuntur spectari *materialiter*, si considerentur quoad *esse*, quo simpliciter sunt quaedam res: *formaliter*, si quoad *esse*, quo sunt res relatae. Et sane, cum relatio sit accidens, per quod res, cui inhaeret, ad alteram rem refertur, profecto aliud in re relata est *esse*, quo ipsa simpliciter est, aliud vero *esse*, quo ad alteram rem refertur. Jam *esse*, quo terminus relatus simpliciter est, *materiam* relationis, et *esse*, quo ad aliud refertur, *formam* eius constituit, quia aliqua res est terminus relatus non propter *esse*, quo simpliciter est, sed propter *esse*, quo ad aliam rem refertur. Ita si Petrum, qui est Pauli pater, spectes non prout est pater Pauli, sed prout hic homo est, patrem Pauli *materialiter* spectas; sin Petrum consideres non prout hic homo est, sed prout genuit Paulum, patrem Pauli *formaliter* consideras, quia Petrum secundum relationis formam, quam ex generatione habet, nempe *paternitatem*, consideras.

XXIV. REMITTI — INTENDI. Aliquid *intendi*, vel *remitti* nil aliud est, quam gradibus suis augeri, vel imminui. Quae verba a cytharaedis translata sunt, qui nervos in fidibus, ut intensiorem, aut remissiorem sonum edant, intendere solent, aut relaxare. Inde solent Logici dicere intendi, aut remitti ea, quae magis, aut minus afficiunt subiectum; ut qui calidus est, potest esse calidior, aut minus calidus; et qui docti sunt, potest eorum unus alio doctior esse, aut minus doctus. Circa quas voces haec adnotanda sunt: 1° Augmentum in qualitatibus et formis non fit per *additionem*, sed per *intensionem*; item diminutio non per *subtractionem* sed per *remissionem*². 2° « Intensio, secundum quam aliquid dicitur magis, et minus, non solum causatur per recessum a contrario, sed etiam per accessum ad

¹ I, q. XXVIII, a. 2 c.

² *In lib. II Sent.*, Dist. XXXIV, q. I, a. 5 sol. Cf p. 298.

terminum, sicut patet in intensione lucis corporalis ¹). Ob hanc rationem « lumen spirituale intenditur in uno Beatorum magis, quam in alio, per maiorem assimilationem ad Deum, quamvis in nullo inveniatur aliquid contrarium illi lumini ² ».

XXV. REPLETIVE—DEFINITIVE—CIRCUMSCRIPTIVE ³.

XXVI. RESISTENTIA PASSIVA—ACTIVA. *Resistentia passiva* est, cum subiectum per aliquam sui formam, vel dispositionem impedit quominus virtus alicuius agentis aliquem effectum in ipsum inducat. Hac ratione ingens lapis ratione gravitatis resistit motui sursum. Quocirca, nisi maior sit virtus agentis, quam resistentia subiecti, in quod agit, effectus ab illo in istud numquam induci potest ⁴. *Resistentia activa* consistit in actione, qua unum contrarium actionem alterius expellit, sicut frigus resistit calori, et vicissim. De hac resistentia activa et passiva ita loquitur s. Thomas: « In aliqua actione potest esse resistentia dupliciter: Uno modo ex parte agentis, quando scilicet ex contrario agente virtus ipsius debilitatur: alio modo ex parte ipsius effectus, quando ex contraria dispositione impeditur effectus ⁵ ». Insuper docet nullam resistentiam activam in actionibus Divinis occurrere posse; nam haec resistentia in mutuo agentibus et patientibus locum habet; Deus autem « est agens nullo modo patiens; et ideo resistentia in actione Eius non est, nisi ex parte effectus recipientis ⁶ ».

XXVII. RESPECTIVE—ABSOLUTE ⁷.

XXVIII. RES—ENS ⁸.

¹ In lib. IV Sent., Dist. XLIX, q. II, a. 4 ad 3.

² Ibid.—³ Vid. p. 64.

⁴ Vid. *Actiones sunt a superante*, p. 33. Resistentiam passivam explicat s. Augustinus his verbis: « Ignis spinas consumit, et cuiusque viridi ligno adhibetur, difficile accenditur, humor enim ligni resistit flammae lentae et marcidiae, tamen idoneae ad consumendas spinas »; *Enarr. in Ps. XL*, n. 12.

⁵ In lib. IV Sent., Dist. XI, q. I, a. 3, sol. 3 ad 2.

⁶ Loc. cit., et Dist. XVII, q. I, a. 5, sol. 1 ad 2.

⁷ Vid. *Absolute—Comparative*, p. 2.—⁸ Vid. p. 108.

R

EFFATA

I. RATIONES CONTRARIORUM IN INTELLECTUM NON SUNT CONTRARIAE. Nimirum *contraria iuxta se posita magis elucescunt* ¹, et *contrariorum eadem est scientia* ². Dicitur autem *in intellectu*, ut significetur rationes contrariorum *subiective*, prout in intellectu recipiuntur, non esse contrarias, nam ipsae ab intellectu secundum modum sui esse recipiuntur, ac proinde in eo, quod aliquid intelligibile et spirituale sunt, conveniunt. Quare non possunt esse contrariae, nisi *obiective*, quatenus, cum contrariae sint res, a quibus proficiscuntur, ipsae relatae ad res sunt contrariae. Iam haec *contrarietas* non accidit nisi ratione veri aut falsi: veritas autem et falsitas non inveniuntur in anima ex parte subiecti, sed ex parte obiecti, secundum illud: *Ab eo quod res est, vel non est, oratio dicitur vera, vel falsa* ³.

II. RECEPTUM EST IN RECIPIENTE PER MODUM RECIPIENTIS ⁴.

III. RECIPIENS DEBET ESSE DENUDATUM A NATURA RECEPTI. Nempe, si tale est subiectum, ut quamlibet formam recipere possit, oportet ut nullam ex iis habeat sibi propriam; quare materia prima dicitur omnino *informis*, quia est in potentia ad omnes formas ⁵. Sin subiectum est tale, ut hanc, vel illam formam tantum recipere possit, illa solum forma *denudatum* esse debet, quam recipere potest. Hinc s. Thomas: « Illud, quod est receptivum aliorum, non oportet quod sit privatum qualibet natura determinata, sed quod sit denudatum a natura receptorum, sicut pupilla a natura colorum; et ideo intellectum possibilem necesse est habere naturam determinatam; sed ante intelligere, quod est per receptionem speciei, non habet in natura sua aliquid eorum, quae a sensibilibus recipit, et hoc est, quod dicitur, quod nihil est eorum, quae sunt ⁶ ».

¹ Vid. p. 80-81.—² Vid. p. 86.

³ Vid. s. Thom. I, q. LXXXV, a. 6 c. et Caiet., ibid.

⁴ Vid. p. 303.—⁵ Vid. p. 127-128, et 197.

⁶ In lib. II Sent., Dist. XVII, q. II, a. 1 ad 4. Cf. etiam *Qq.*